

Librario membranae parco visum fuisset eo ad complendum *Ezechielem* uti. Dehinc vero usque ad finem inoffensus decurrit, excipiturque a *Daniele*, qui rursus *Hieronymi* Praefatione munitus est hoc initio litera quadrata: *Danielem Prophetam iuxta Septuaginta Interpretes domini saluatoris ecclesie non legunt &c.* Propheta ipse eodem scripturae genere incipit, sed admodum mutilus est; deficit enim a C. II. v. 44. usque ad C. IV. v. 33. Item a C. V. v. 17. usque ad C. XIII. v. 14. Ultimus demum five 42. Versus C. ult. deest. *Prophetas minores* generalis *Hieronymi* Praefatio antecedit hoc rubro litera quadrata: *Incipit Prologus Duodecim Prophetarum. Non idem Ordo est duodecim Prophetarum apud hebræos &c.* Sunt omnes integri, titulisque rubricatis quadratisque gaudent usque ad *Aggaeum*, ut supra dictum est, cuius partem, uti et sequentia ex hoc venerandae antiquitatis monumento deperiisse, omnino dolendum est. Praefationes *Hieronymianae* diversimode ab editis discrepant.

XLVII. VI. F. 25.

419 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 61. 4. columnis tribus, media Textus, utrinque Glossarum, probe exaratus, rubricisque distinctus *Danielem Prophetam* complectitur ex interpretatione vulgata. Praeit, ut in *Bibliis glossatis*, *Hieronymi* Prolo-

gus: *Danielem prophetam iuxta LXX. interpretes domini saluatoris ecclesie non legunt &c.* nomine tamen Autoris subpresso. Sequuntur Excerpta partim ex altera *Hieronymi* Praef. ad *Pammach. et Marcellam*, quae legitur edit. *Vallars.* T. V. col. 617. partim e *Glossa ordinaria Walafri Strabi*, prout habetur in *Bibl. glossatis*. Ita et deinceps Textus *Glossa ord.* et *interlineari* stipatus procedit, quae tamen finem versus sensim deficiunt, et c. 14. penitus cessant. Exemplum mendis non caret. Ita statim sub initium C. I. legitur *arphaxat* pro *Asphenez* (אשפנז) et glossa interlinearis *equorum domitor* ponenda ad *Nabuchodonosor* ridicule ponitur ad *prepositum eunuchorum*. In fine deest integer Versus 42. *Tunc rex ait: Paueant omnes &c.*

II. fol. 59. p. 2. minuto characterere Compendium *Chronologicum*, quod incipit: *Presens seculum in duos status distinguitur. seu in certa tempora. Primus status qui dicitur uetus ab adam usque ad Christum &c.* Atque hunc Statum tantum enarrat Noster, insertis ex *Historia sacra* successionebus *Patriarcharum, Judicum, Regum et Sacerdotum*, e profana vero *Regum Persiae, Aegypti et Syriae*, prout habentur in *Eusebii Chronico*.

XLVIII. VI. E. 5

Codex membraneus lat. Sec. 293 X. Folior. 103. f. eximiae notae, luculente scriptus, rubricis di-